96

1528. 20. Decembris. Ex MS. arch: Stan: Aug: Reg:

## Cricius Tomicio.

Reverendissime mi domine. Venit huc ex Russia quidam non vulgaris ad fratrem suum, qui nonnullorum insignium, et singularem habet gratiam, et multa novit secreta, is narravit mihi mira, de conspirationibus quibusdam novis, mira quidem non de omnibus sed de his de quibus Vestra reverendissima dominatio nunquam suspicari posset, et quos secum quasi virum putat, internuntiis, talibus qualium mores et ingenium maxime probare solet, turbatus vehementer quod nusquam tuta fides, volui hoc Vestrae reverendissimae dominationi inclinare, nec plura sapienti, ipsa enim pro sua prudentia et melius ista scire, et uti volet cautius providere poterit, quam ego vel intelligere vel consulere possim, cui me humillime commendo. ex Poltowsko in vigilia Sancti Thomae. Anno domini MDXXVIII.